



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Ratio eiusdem sententiæ à posteriori. c. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

supernaturalis ordinis, sed ad aliqua etiam alia ordinis naturalis multa suadent. Primo auctoritas *S. Th. 2. 2. q. 85. 1. 3. 6. articulo 3. ad 2. vbi agens de patientia inquit, opus politice virtutis esse commendatum naturæ humane, & ita posse naturam nostram in illud tendere absque auxilio gratiæ gratum facientis: intelligit autem auxilium secundum substantiam supernaturalem, sed non absque auxilio gratiæ: concedit igitur auxilium gratiæ ad opera ordinis naturalis secundum suam substantiam præter auxilium super naturale ad opera secundum substantiam supernaturalia.*

Secundo idem probat auctoritas Doctorum, quos Paulo ante allegauimus, & aliorum multorum, qui docent omnia opera moralia semper fieri ex auxilio gratiæ: quorum sententia si ita vniuersalis non placet, eorum saltem opinio displicere non potest, qui asserunt, ad opera difficiliora virtutis moralis, & ad difficiliore tentationes contra moralia præcepta necessarium esse auxilium gratiæ. Imo de omnibus tentationibus non pauci id ipsum probabiliter affirmant, vt suo loco videbimus.

Tertio colligitur idem ex Concil. Trid. sess. 6. c. 16. vbi definitur, gratiam Dei semper præuenire, comitari, & subsequi bona iustorum opera: vbi plane comprehendit etiam moralia, quibus præcepta obseruamus, vt ex eodem loco Concilij constat: & ostendimus 1. 2. q. 114. art. 4. nomine autem gratiæ non intelligi habituales, sed auxilium probabimus in ea q. ar. 3.

Quarto nisi id concedamus, vix defendere possemus, non esse ex nobis initium iustificationis nostræ, aut occasionem aliquam per bona opera moralia, vt in hoc capite notabamus.

Deinde obseruare debemus, nihil nostra interesset, vtrum hæc sancta cogitatio sit post fidem & noticiam Dei supernaturalem, an vero ante fidem etiam inueniatur: nam quocumque modo contingat, ex illa recta cogitatione oriri aliquod opus, quo à Deo impetremus aliquod auxilium gratiæ, illud præfertim, quo colligatur series operationum vsque ad iustificationem, & perseverantiam, vere gratia per Christum dicenda est, & quatenus præuenit consensum, dicenda est operans; quatenus vero comitatur illum, cooperans debet vocari. Mihi tamen dubium non est, aliquibus operibus moralibus ex gratia Christi factis, antequam aliquis cognoscat mysteria supernaturalia, obtineri à Deo veram illorum noticiam, & vltius media illa notitia hominem cōsequi iustificationem. Quod si Aug. sapius negat gratiam ante noticiam fidei, id docet quia putauit, vt plurimum eos, qui non habent veram Dei noticiam, etiam si circumstantiam virtutis frequenter operentur, semper ex prauo fine, aut cum praua circumstantia operari, de qua 1. 2. q. 109. art. 2. fusius tractabitur. Quomodo autem fides sit donum Dei, & oratio similiter, ea q. a. illo 1. & 2. dicemus.

CAPVT XV.

Ratio eiusdem sententiæ à posteriori.

Posterior ratio desumpta ab absurdo est huiusmodi. Si auxilium quoad iustificationem promouemur, daretur nobis occasione accepta alicuius operis nostri, illud non esset gratia, ac proinde iustificatio nostra non esset ex gratia, sed ex operi-

bus nostris; quandoquidem ipsis retribueretur tanquam debita, quod est absurdum. Hæc ratione Paulus excludit opera solius arbitrij à iustificatione nostra, & aperte pronunciat hominem non iustificari ex operibus legis, sed ex fide; ac si dicat, gratiæ auxilio, quæ fide nobis communicatur; cum excludit opera, non solum excludit ceremonias, sed etiam moralia, quæ ex sola notitia legis sunt, vt ostendat solam noticiam legis sine spiritu gratiæ intrinsece non sufficere ad iustificationem, & obseruationem legis.

Paulum vero loqui non solum de lege ceremoniali, sed etiam de morali patet; quia ad Roman. 2. ostendens parum referre, si legem quis habeat ex scriptura, vt eam obseruet, offert exemplum gentilium, qui sola naturali notitia legis, non quidem sine spiritu gratiæ mouente, sed sine exteriori litera illam obseruant, & iustificantur id quod de lege morali plane intelligitur. Et capite 7. ostendens legis infirmitatem ad hoc solum delinere, vt noticiam præbeat peccati, atque, si spiritus gratiæ desit, qui intrinsece moueat, peccatum sequatur, exemplum offert legis moralis, cum ait: *Quid ergo dicemus, lex peccatum est: absit sed peccatum non legimus, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebamus, nisi lex diceret, Non concupisces.* Quæ verba non de ceremoniali, sed de morali lege plane accipiuntur. Et ad Galat. 3. vt ostendat literam legis exterius sonantem sine spiritu gratiæ potius mortem operari, quam iusticiam, sic inquit: *Quicumque enim ex operibus legis sunt (hoc est sola notitia literæ legis operari conantur) sub maledictio sunt, hoc est, incurunt maledictionem, quia legem non obseruant. Scriptum est enim: maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Hæc autem maledictio etiam moralibus præceptis appollita est. Cum ergo Paulus in vtrique epistola dicit hominem non iustificari ex operibus, excludit plane opera moralia ex proprijs viribus facta: vel quia nulla sunt huiusmodi, quæ seipsis iustificare possint, vel quia nulla huiusmodi sunt, quæ iustificationem à Deo impetrent, & eam aliquo modo inchoent.

Ceterum quia posset quis nimium contendere, hic à Paulo eo solum excludi opera moralia, quod ex seipsis non habeant vim iustificandi, non tamen ab eo negari, his operibus gratiam Dei obtineri, ex capite 11. ad Rom. clarius ostendo ex operibus moralibus factis sine spiritu gratiæ, non consequi hominem à Deo auxilium gratiæ, quoad iusticiam perueniat, inquit enim: *Reliquiæ, hoc est pauci, secundum electionem gratiæ salui facti sunt.* Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia: ac si dicat, pauci qui saluantur, gratia à Deo ad suam gratiam electi sunt, atque gratuita electione saluantur. Quod si gratis electi fuerint, non propter opera ipsorum, quæ præcesserint, aut præuiis fuerint, oligi poruerunt. Sic intelligit Augustinus huic locum libro 1. ad Simplicianum quaestione 2. non longe à fine, & sermone 7. de verbis Domini secundum Matthæum, & libro de patientia c. vigesimo, & 1. de prædestinatione Sanctorum c. 3. & ratio est; quia electio iam esset gratuita, non gratuita: vnde gratia non esset gratia, hoc est, id quod alioquin gratia esset, tunc gratia non esset.

Hoc argumentum ex testimonio Pauli contra Massilienses vtriusque Patres, vt probant, donationem

713
Ante noticiam
fidei potest
dari gratia.

nam gratia in tempore, & electionem ad illam in
præsentia non esse ex operibus, nec ex illis oc-
casione cepisse. Ita arguit August. contra Iulianum
Pelagianum libro 4. cap. 3. & in illo libro de patientia cap.
20. & 1. de prædestinatione Sancti cap. 3. & alibi sepe-
numero, Fulgentius lib. de incarnatione & gratia cap.
18. Propter libro 1. de vocatione gentium cap. 18. in principio
alias 5. non longe à fine & passim libro contra Collatorem,
& ad excerpta Genuensium ad quartum dubium, Petrus
Dionysius libro de incarnatione, & gratia Domini nostri
Iesu Christi cap. 8. qui cum damnasset libros Faustii,
quod humano labori subiungendum esse adiuto-
rium gratiæ, doceret; adiecit: Atque totam omnino
Christi euacuans gratiam antiquos sanctos non ea gratia
qua & nos secundum quod docet beatissimus Petrus Apo-
stolus, sed naturæ possibilitate saluatos impie proficetur.
Manifestum autem est hunc Faustum non negasse
gratiam sicut negauit Pelagius vt disputatione.
89. cap. 4. dictum est, sed initium tantum ex nobis
concessisse, nihilominus totam gratiam euacuasse
videtur, quia, si nos inciperemus, gratia non esset
gratia. Ex quo etiam fieret, vt possibilitate naturæ
saluati diceremur, quia per eam consequeremur
à Deo cetera ad salutem necessaria. Dicit etiam
ibidem Petrus libros Faustii Regiensis, in quibus
docet labori humano subiungendum esse gratiam,
scriptos esse contra Apostoli doctrinam ex operi-
bus nostris nobis donari.

Posset tamen aliquis huic obstarè rationi &
mentem horum Patrum sic interpretari, vt lo-
quantur solum de meritis condignis, ex quibus si
gratia Dei daretur, vt putabat Pelagius, vere gratia
non esset, quia tunc quasi pro æquali pretio, sicut
gloria beatitudinis conferretur. Nam quod detur
gratia pro opere alias non condigno, sed congruo
tantum non videtur impedire rationem gratiæ:
veluti si donatio aliqua magna pro re parui mo-
menti fieret: quo argumento nonnulli putant,
contra Semipelagianos non satis probari, gratiam
non dari ex meritis tantum congruis, & impetra-
torijs. Hanc sententiam amplexus est Andreas de
Vega, libro 8. supra concil. cap. 5. vt defenderet opinio-
nem, quam docuit in eodem 8. lib. super concil.
capite. 10. nempe peccatorem mereri gratiam ha-
bitalem, & remissionem peccatorum de con-
gruo per opera precedentia, quæ sunt ex auxilio
gratiæ.

Horum tamen opinio mihi nullo modo pro-
batur, quod rationem Patrum contra Semipe-
lagianos tam facile euerat. In cuius confirmatio-
nem notandum est, naturam donationis omnino
liberalis in eo sitam esse, vt nulla ex causa onero-
sa, vel propter beneficium acceptum fiat, sed solo
intuitu donandi, & benefaciendi, & hæc dicitur
donatio omnino gratuita. Nam ea, quæ fit aliqua
ex causa, vel propter aliquod beneficii acceptum,
vel cum aliquo onere, dicitur donatio antidotalis,
hoc est, remuneratoria, etiam si beneficium accep-
tum æquale non sit retributioni, aut dicitur do-
natio ob causam.

Aut ergo Deus largitur nobis suam gratiam
omnino liberaliter animo benefaciendi, & ex mi-
sericordia, non donatione antidotali, seu remu-
neratoria, & ita nec minimum meritum, nec mi-
nima causa ex nobis potuit procedere, alioqui
gratia iam non esset gratia omnino liberaliter, &
gratis, aut ex misericordia, sed gratitudinis ergo
nobis collata; præcessisset autem abque dubio ex

nobis aliquod meritum, vel causa, si opera aliqua
præcessissent, quibus Deus inclinaretur, vt suam
nobis gratiam daret. Aut certe donatio gratiæ
Dei remuneratoria, & antidotalis dicenda est.
Quare, & Christus etiam grato, erga nos animo,
non autem animo miserendi, & omnino liberali
pro nobis passus fuisset; ac proinde redemptio
nostra non opus misericordiæ, sed gratitudinis es-
set. nec simpliciter donatio dicenda esset: donatio
enim animo remunerandi non est dicenda dona-
tio, vt definitur in lege Aquilii regulus, ff. de dona-
tionibus: quæ plane sunt absurda.

Porro autem donationem gratiæ non esse an-
tidotalem patet ex illo, quod eodem capite 1. ad
Roman. dixit Apostolus, ubi ostendens liberam
Dei voluntatem, qua quorundam miseris est, al-
ios vero reiecit, inquit: O altitudo diuitiarum sapien-
tiæ, & scientiæ Dei, explicans autem in quo diuitiæ
Dei reluceant, subiungit: Quis prior dedit ei, & retri-
buetur? & Iob. 41. quis ante dedit mihi, vt reddam ei? quasi
dicat, nullus. Retributionis autem nomine intel-
ligit quamlibet remunerationem, & donationem
antidotalem; adiecit enim: Quoniam ex ipso, & per
ipsum, & in ipso sunt omnia ipsi gloriam in secula. Amen:
& Iob. eodem capite. omnia quæ sub celo sunt, mea
sunt. Dicit ergo ideo neminem ex se quicquam
prius dedisse Deo, vt Deus ipsi retribueret pri-
mam gratiam suam antidotali donatione; quia
omnia potius, quæ homo habet, ab ipso gra-
tis accepit, & pro omnibus ipsi gratias agere de-
bet: gratiam igitur, quam nobis Deus donauit,
omnino liberaliter contulit, absque vlla retribu-
tione, quæ alicuius remunerationis, & gratitudi-
nis rationem haberet. Quare cum eodem capite,
paulo superius dixit, Si autem gratiam iam non ex operi-
bus, alioquin gratia iam non esset gratia; exclusit manife-
ste quæcunque opera nudi arbitrij, quæ minimam
haberent rationem meriti, causæ, aut occasionis,
ob quam Deus gratiam suam antidotali donatio-
ne largiretur & grato animo remuneraret.

Præterea, vt inferius notabimus ex Fulgentio,
gratia Dei per Christum est pura misericordia,
quia solum ex animo leuandi nostram miseriam,
non ex animo gratitudinis donatur: quod enim
ex grato animo datur, non ex misericordia con-
feritur; nam gratitudo beneficium acceptum, mi-
sericordia vero solam miseriam respicit. Re-
igitur Patres non solum contra Pelagium probat,
gratiam non dari ex meritis condignis liberi arbitrij,
quia gratia non esset gratia, quasi pro æquali
pretio daretur; sed etiam contra Semipelagianos
demonstrant, gratiam non dari ex meritis con-
gruis liberi arbitrij, quod gratia non esset gratia
omnino, & misericordia, sed antidotalis quædam,
& remuneratoria donatio, etiam si pro operibus
minoris valoris donaretur.

Præterea Patres superius allegatos in ea esse
sententia, vt existiment, gratiam non esse gratiam,
si operibus liberi arbitrij etiam non dignis, sed
congruis tantum retribuatur, constat, quia aliqui-
bus ex illis locis contra Semipelagianos solum
disputabant, qui non dicebant meritis condignis
liberi arbitrij gratiam donari, sed operibus, quæ
aliquam haberent rationem meriti, aut inquit, vt
disputatione 89. cap. 4. expresse notauit, Augusti-
nus quidem libro illo de prædestinatione Sancto-
rum capite 2. contra eos, qui dicebant initium fi-
dei esse ex nobis, consummationem ex Deo, ita
scribit:

Ad Rom. 11.
Donatio gra-
tia non est
antidotalis.

119

Si gratia ope-
ribus arbitrij
congrue daretur
non esset
gratia in sen-
tentia Pa-
trum.

Augustinus
testimo-
nium.

scribit: Non ergo receditur ab ea sententia quam pelagius ipse in episcopali iudicio palestino, sicut eadem gesta restantur, damnare compulsum est, gratiam dei secundum merita nostra dari. Id autem probat paulo inferius his verbis: Quis autem dicat eum, qui iam cepit credere, ab illo, in quem creditur, nihil mereri: ut inde sit, ut iam merenti cetera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quibus solum ostendit Augustinus ex sententia Massiliensium aliquod meritum, etiam si non condignum, ex nobis præcedere: quia qui cepit credere, aliquid meretur, sicut ipse etiam fatetur epist. 105. fidem mereri iustificationem quia illam impetrat, intelligit meritum saltem impetratoriū, vel quod Scholastici congruum appellant, idque sufficere putat, ut gratia non sit gratia, sed secundum merita dari dicatur.

Aliud eundem.

Aug.

721
Debitum si
delictatis non
tollit ratio-
nem gratia.

Testimonium
Fulgentij.

122

Idem etiam affirmat eodem libro, capite 2. nempe eum, qui incipit credere, mereri augmentum fidei, & ita, si initium fidei esset ex nobis, augmentum illius non fore gratiam, quia debita redderetur, & capite 3. aliquid ante finem addit: Quæ utique non est gratia, si eam villa merita præcedunt, non dixit, condigna, sed villa, ut omnem rationem meriti excluderet. Ac tandem subiungit: Ne iam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quam doneatur: Inquit autem gratiam debitam esse, & ita non esse gratiam, si redditur meritis etiam minimis, qualia fatebantur Massilienses: non quia esset debita, ex iustitia, nam iustitia proprie non interuenit inter nos, & Deum, etiam in merito condigno, ut disputat. 83. monstrauimus: nec quia esset debitum ex promissione, debitum enim fidelitatis, quod ex verbo Dei nascitur & non solum meritis condignis annexum est; sed aliquibus etiam congruis (nam operibus misericordiae multa Dei dona promissa sunt, ut sequenti capite, dicemus) non tollit rationem gratiae: neque enim ideo definit esse gratia, quia reddatur promissa: si enim liberalis fuit promissio, erit etiam donatio: sed dixit gratiam fore debitam, si meritis etiam minimis liberi arbitri donaretur: quia esset debita ex gratitudine meriti, & beneficii accepti, quo solo aufertur etiam ratio gratiae, & donationis simpliciter, & donatio fit remuneratio, seu antidotalis.

Eodem modo Fulgentius contra Faustum, & alios Gallos qui dicebant, nostrum esse, velle credere, propter quam voluntatem Deus nobis gratiam fidei largiretur, libro de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 8. inquit. Si vero secundum opinionem illorum, nostrum est velle credere, prius quam nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniuste dicitur gratia, quia non gratis homini datur, sed bona retribuitur voluntati. Hanc enim, sicut illi volunt, gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit. Imo si sic est, nos priores Deo voluntatem habemus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed aequitate Dei retribuentis accipimus. Verumtamen quis prior dedit illi & retribuitur? nemo utique &c. Illi autem contra quos Fulgentius agebat, non concedebant merita condigna ex nostro arbitrio; sed quandam rationem meriti, quod nos congruum, vel impetratoriū dicimus. Neque enim illi omnino erant Pelagiani, sed de reliquijs Pelagianorum, ut loco citato probaui. Infert autem, gratiam sic non fore gratiam, quia nos priores Deo aliquid darem: quare gratia non daretur ex misericordia, sed ex aequitate: misericordia enim

non respicit beneficium acceptum etiam minimum, sed potius miseriam. Intelligit vero Fulgentius ex aequitate non condignitatis, & iustitiae, sed gratitudinis: gratitudo autem omnino à misericordia differt, quia hæc miseriam supponit in eo, cui fit donatio; illa vero beneficium ab eo acceptum: gratiam autem per Christum habemus ex misericordia non ex illa gratitudine.

Quapropter ad Roman. 9. & Exod. 32. dicitur. Miserebor, cuius misereor, & misericors diam praestabo, cui miserebor: igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei & iterum, cuius vult misereor, & quem vult indurat. Quibus verbis Paulus largitionem gratiae Dei ad quam elegit nos, appellat misericordiam: & ideo asserit hanc electionem non esse currentis, neque volentis, sed miserentis Dei. Quod si diligentia nostra curemus aliquo bono opere, & vellemus prius aliquo nostro desiderio, quo Deum inclinarem, ut nos eligeret, & gratiam suam bonis conferret, nec excluderet Paulus cursum, & desiderium nostrum, nec diceret gratiam esse solius Dei miserentis, sed potius ex gratitudine retribuentis. Ideoque ibidem Paulus, & Osaeas 2. capite vocant electos Dei, plebem misericordiam consequutam: & Petrus Diaconus, cum ait libros Faustii contra Apostoli doctrinam scriptos, & gratiam Christi ab eo euacuari, loquebatur de meritis congrui aut impetratorijs, quæ solum Faustus concedebat, erat enim de secta Massiliensium.

Denique Prosper ad excerpta Genuesium ad 4. dicit, explicans eundem locum ad Rom. 11. Gratia iam non est gratia, sic loquitur, Non praesit eorum aliquid, quod priores darent. & retribueretur illis pro nihilo enim saluos fecit eos, & sal. 55. Quæ verba desumpta ex Augustino libro de prædestinatione Sanctorum capite 6. in fine & in responsione ad tertiam dubitat, idem Prosper ita ait: Et quod fides, unde incipiunt omnia merita, domum sit Dei, ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuatur, auuncit. Non dixit condignum, sed aliquid, propter quod tribuatur. Id vero asserit contra eos, qui dicebant fidem esse ex libero arbitrio, & propter illam nobis tribui gratiam: hi autem erant Massilienses, qui meritum condigni non concedebant, ut notatum est. Excludunt ergo Augustinus, & Prosper omne initium ex libero arbitrio, cuius iactu gratia doneatur, quis talem putant esse donationem gratiae Dei per Christum, ut illa pro nihilo conferatur, id quod verum non esset, si nos prius aliquid quaecumque Deo darem.

At obijciat aliquis hoc modo. Si quis pauper alienam opem, & auxilium, quo indiget, obire postulet potest diues homo miseria deprecantis permotus ei succurrere, & nihilo fecius opus misericordiae, & gratiae, ita in ipsum exercere, ut nullam habeat rationem gratitudinis, & retributionis: nihil igitur obstat, quo minus Deus orationibus nostris permotus gratiam, & misericordiam absque ulla retributione & gratitudine, sed sola voluntate gratuita miserendi nobis largiatur; ac proinde etiam si affirmemus orationi humane gratiam Dei conferre, verè rationi gratiae, & misericordiae non derogamus. Respondeo longe diuersam esse rationem inter homines, qui pauperum deprecantium miserentur, & Deum, nam homi-

nes non merito operis retribuunt, sed miseria postulantis, quæ oratione, & precibus ipsis innotescit, mouentur. Quocirca cum nullum ex oratione recipiant obsequium, aut ad illud non attendant, sed oratione solum miseriam simpliciter, aut melius, quam antea cognoscant; etiam post orationem pauperum opus puræ misericordiæ in ipsos exercent: neque vlla ratione retribuunt merito postulantiæ: aut si retribuunt, opus veræ misericordiæ non faciunt. At vero Deus acceptas habet orationes nostras, cum tamen aliqui illis non egeat, ut miseriam nostram cognoscat. Quare ipsis orationibus obsequium aliquod recipere dicitur; ac proinde quoties oratio ab eo aliquod impetrat, ipsi orationi retribuere; non autem miseriæ nostræ donare dicitur. Nam ut Deus miseria moueretur, oratione non egebat, sicut homo: flectitur igitur oratione quasi quodam obsequio, cui si aliquid concedit, ex gratitudine retribuere dicitur; non ex liberalitate donare. Ergo si oratione humana, hoc est, ex proprijs viribus gratia à Deo obtineretur: iam non esset gratia; vt testimonij Patrum, & ratione perspicue monstrauimus.

Hæ duæ rationes ex Scriptura, & Patribus desumptæ probant, nullum vel minimum initium, etiam remotum, moralis virtutis, quod ad gratiâ obtinendam disponat; ex nobis præcedere, præsertim quia iam etiam cum nos aliquid Deo daremus quod ad impetrandam gratiâ conferret, esset retributio, non misericordia. Nec solum probant nihil ex se homines habuisse, quo gratiam à Deo consequerentur, sed etiam nec Angelos: ac proinde recte inferitur vtrorumque prædestinationem non fuisse factam ex initio aliquo ipsorum, sed sola voluntate Dei. Quid vero Patres, & Scholastici de gratia Angelorum speciatim dicant videbimus infra disput. 128. cap. 2. & 3. Quomodo autem meritum de congruo, quo meremur remissionem peccatorum iuxta doctrinam Aug. in epistola 105. non tollat rationem gratiæ, fufus dicemus 1. 2. q. 11. a. 5. ea videlicet ratione, quia tale meritum ex auxilio gratiæ procedit, non ex pura natura, & ita totum beneficium remissionis peccatorum ad radicem gratiæ primæ renouatur. Patres vero citati solum contendunt, euacuari rationem gratiæ Christi, si merita quantumuis minima, aut occasio aliqua ex nostris viribus præcedat; vt explicatum est.

Hactenus ostendimus, nullum ex nobis initium boni operis fuisse, ex quo prædestinaremur: bonam vero naturam indolem, & ingenium etiam causam non fuisse, obiter ex Augustino monstratum est, & infra quoque probabitur, disput. 94. c. 4. rationibusque; hæcenus factis confirmari potest. Nam si gratia daretur ob excellentiam ingenij, nec esset misericordia, nec esset omnino liberalis, sed antidotalis quodammodo. An vero quamuis ex prædestinato non detur aliqua causa, seu occasio suæ prædestinationis; in alio tamen esse possit, ita vt vnus alteri mereatur prædestinationem, & omnem effectum illius, dicimus disput. 94.

Tandem ex dictis perspicuum est, non errasse Malsilenses, quod assererent in peccatore esse meritum aliquod congrui, seu imperatorij, hoc enim in peccatore potest esse; sed quia hoc meritum, vel initium ex nostris viribus sine ullo auxilio gratiæ concesserunt. Neque errant, quia dixerunt, initium hoc ex nobis, esse meritum

condignum; nec quia dixerint, Deum ex promissione ob illud esse necessario obligatum; sed quia dum concedebant ex nobis aliquod meritum etiam minimum, ex eorum sententia sequebatur, intuitu illius Deum ex gratitudine suam gratiam retribuere.

CAPVT XVI.

Quædam aduersariorum obiectio.

A Nequam argumenta Malsilensium, & Galorum contra Augustini sententiam afferamus, argumentum quoddam, quod illorum sententiæ fauere potest, diligendum est: argumentum autem est huiusmodi. Homo ex se sine alia gratia, quam dono creationis, & liberi arbitrij, facere potest aliquod opus morale bonum: ergo illud potest esse exordium ex nobis, vt ita nos prius demus aliquid Deo, propter quod ipse retribuatur, & donet gratiam suam. Aliqui concedunt, ex proprijs viribus per aliqua moralia opera hominem disponi, vt gratiam à Deo impetret, nihilominus ea non esse causam prædestinationis, quia sub ipsa prædestinatione hæc omnia opera comprehenduntur, sic sentit Durandus citatus à nobis caput 10. & alij recentiores. Sed horum sententia eo loco satis à nobis impugnata est.

Alij vero qui fatentur omnem effectum prædestinationis esse donum gratiæ Dei per Christum, respondent posse quidem nos aliquod bonum opus morale operari ex nostris viribus, sed nullum esse opus moralis virtutis acquisitæ, quæ à Deo aliquam gratiam impetret. Acquisitam virtutem vocant, quam nonnulli Theologi ab infusa etiam morali distinguunt: nam ex operibus, verbi causa misericordiæ, aliqua dicunt fieri ex respectu quoddam supernaturali, vt quando datur elemosyna egenti, tanquam filio Dei, aut Christi membro; & tunc esse opus moralis virtutis infusæ: quando vero datur tantum, vt homini egenti, quia sic honestum apparet, esse opus moralis virtutis acquisitæ. Docent ergo opere infusæ virtutis, non tamen opere acquisitæ, aliquod auxilium gratiæ à Deo obtineri, & quia opus infusæ virtutis fieri non potest sine auxilio gratiæ mouentis, efficitur, secundum illorum sententiam nullum esse ex nostro libero arbitrio initium gratiæ. Alij etiam, quos retulimus supra c. 12. existimant operibus moralibus ex libero arbitrio factis non esse promissam gratiam, sed ex misericordia Dei ipsis conferri.

Falluntur tamen priores aperte in eo, quod affirmant, aliquibus operibus misericordiæ, & alijs moralibus virtutum acquisitarum nullum à Deo auxilium gratiæ impetrari. Nam cum Scriptura, & Patres passim nobis auxilium gratiæ Dei promittunt, si misericordes in pauperes fuerimus si iniuriam nobis factam remiserimus, nunquam hac Scholasticorum vtuntur distinctione; sed ea nobis suadent, quæ apud homines communiter honesta iudicantur; qualia sunt opera misericordiæ virtutis acquisitæ. De elemosyna, quæ gratiâ à Deo impetret, vt peccata remittantur, habes plura testimonia manifesta Tobie 4. cap. & 12. Ecclesiastici 3. 7. & 29. Danielis 4. & Matthæi 5. vbi dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quis autem dicat, eum non esse misericordem, qui pauperum miseris mortus, eas leuare curat? & Matth. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester celestis delicta vestra.* Eadem sententia habetur Marci 11. Luc. 6. & Eccle.

126
Argumentum.Quorundam
sententia re
gitur.

Durandus.

Sententia
Alex.

127

Operibus
misericordiæ
virtutis ac
quisitæ Dei
auxilium im
petratur.

To 4. & 12.

Eccle. 3. 7. &

29.

Daniel 4.

Mat. 5. & 6.

Eccle.

Malsilenses
vero ex di
ctis obiectis